




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-633970-p0001-2

DFG



*QVÆSTIONVM JVRIS
CONTROVERSARVM DECA-
DES QVINQVE,*

QVAS,

Divina favente gratia:

EX DECRETO ET AVTORITATE
Amplissimi Senatus Facultatis Iuridicæ in
perillustri Academia Tubingensi;

PATROCINANTE

**CLARISSIMO ET
CONSVLTISSIMO VIRO, D.**

*DAVIDE MAGIRO I.V.D. ET PROFES-
sore celeberrimo, publicè in Aula nova 16.*

*Iunij, horâ consuetâ, disputandas
proponit*

*IUSTVS ECCARDVS, ALSFELDIANVS
Hessus.*

*SVB RECTORATV MAGNIFICI AC
clarissimi Viri DN. IOANNIS HOCH-
MANNI I.V.D. ac Professoris
ordinary.*


TUBINGÆ,

Typis Ioan. Kircheri, 1598.

1598, 2.

15

2



CONSULTISSIMO ET AMPLIS-
SIMO VIRO, D. NICOLAO BECKERO, IL-
lustriſſimi Hefſorum Principis, D. LUDOVICI Senio-
ris, &c. Secretario ac Consiliario intimo, Domino
ac Patrono ſuo ſumma perpetuaq; obſer-
vantiā colendo.

NON ME LATET, VIR AMPLIſſIME,
partem quandam gratitudinis eſſe, literis dictisq; ce-
lebrare nomen Patroni; ſcio etiam, immoſicas laudes
conciliare inuidiam potius, quam gloriam; attamen ſi
hec viro laude digno ob merita tribuantur, tum citra ullum in-
vidiae periculum aut aſſentationis ſuſpicionem recte laudabitur,
quamuis etiam laudari minuſ expetat; nam plerunque quod magis
quis dignus eſt laude, eò magis ex singulariſ ſua moideſtia eam renu-
it, nihilominuſ & nolement ſequitur ſua gloria. Ex horum nume-
rotuſ, V. A. qui ob varia officiorum, humanitatis, & beneuolen-
tiarum genera mihi praefita, obq; virtutes, quibus decoratus eſt, à
me in calum usq; laudibus prouehenduſ eſt; Tanta enim ſunt tua in-
me collata beneficia, ut mutuiſ in te officijs vix unquam ſatisfac-
re, illisq; equiualeſ reddere poſſim, nec tamen ob id quantum un-
quam praefare potero, intermittam. Non ignoro etiam, ſepè no-
ſtrā culpa fieri, ut in retinendiſ ſtudiorum noſtrorum patronis &
alioribus parūm caute agamus, dum nimirum, ſi accommoduſ no-
biſ obtigerit patronus, iſq; nos ſtudioſe amplecti cæperit, illius erga
noſ beneuolentiam ac fauorem mutuiſ officijs alere ac prosequi noſ
ſtudemus, quod hactenus mihi penè contigit; Cūm enim me in a-
micitia tua, aut potius patronatus naſſam pellexiſſes, vix deguſta-
tua humanitate, variabilis rerum fortuna me ſecedere coēgit
ſtudiorum gratiā in ITALIAM, cuius ut & GERMANIA ſu-
perioris ACADEMIIS per aliquot annos frequentatiſ & perlustra-
tiſ, poſt varias deum diuturnasq; peregrinationes multis tedium
ſexantlatiſ laboribus ac periculis, diuino tandem auxilio ſaluſ

ac in columnis in dulcissimam meam redij patriam, ex quo tempore
huc usque per presentem fortunam occasio A. T. gratificandi nulla
alia mihi fuit relicta, quam ut publicum hoc studiorum meorum
specimen, ceu pignus non peritum unquam, A. T. consecrarem,
non ut beneficiorum mihi praestitorum esset recompensatio, aut il-
lustratio nominis tui id fore; scio enim viles has chartulas tuis er-
ga me meritis longè impares esse, & obfuscare potius quam illu-
strare splendorem nominis tui; sed ut iucundæ obligationis, gra-
tiq; ac memoris animi testimonium erga A. T. qualemque saltem
extaret; Et licet peregrinum sit, ac indignum, ut ad manus tuas
perueniat, est tamen magnum, si offerentis animum ac voluntati-
tem spectes. Non itaque ex quantitate hoc munusculum estimare
velis; Non enim verbosos commentarios facere, vel notatis (ut ple-
rique solent) ex alijs auctoribus has theses augere, sed simplici stilo
questiones iuris ad disputandum proponere constitui; Ab initio
quidem plures decades adiungere decreueram, sed pro laudabili
huius Academiae statuto, quo certus tantum thesium numerus per-
mittitur, ne vid. studiosi thesium multitudine obrutis se ipsos con-
fundant, lubenter id intermis. Obnixè ergo A. T. peto, ut id sere-
nâ ac benignâ fronte accipiat, & quemadmodum hactenus, ita im-
postorum me singulari suâ benevolentia ac fauore amplecti perget,
meq; ac studia mea sibi benignè commendata habeat; pro quo me
vicissim in perpetuum sibi habebit obstrictissimum. D E V S Opt.
Max. A. T. perpetuò saluam & in columem conseruet.


A. T. Deditiss.

IVSTVS ECCARDVS
Respondens.

Quæ

QVAE STIONES IVRIS CONTRO- VERSAE.

Quæstio I.



VÆSTIO est valdè dubia, an de jure ciuili minori in uito cu-
rator detur? Quod cum Ioh.
Ramo negantes, statuimus,
minoribus, si petant curato-
rem, & iuris beneficium im-
ploreント, non esse rerum sua-
rum administrationem inui-
tis imponendam, etiam si res
suas benè gerant: secūs si non
petant, tum enim ex iuris ne-
cessitate eis inuitis curator dandus non est. Hodiè ex re-
cepta in Germania consuetudine, cura cum tutela con-
tinuatur; nisi tutor administrationem tutelæ disposerit,
& adulto curatorem dari petierit, ut Geil. afferit. Et in Con-
stit. polit. Car. V. anno 48. August promulg. in tit. ven Pupils
len vnd minderjârigen/ dicitur, ut sub tutela & cura sint, bis zt
ihren manbaren vnd vogtbaren jaren.

2.
In disquisitionem venit, an, si minor sine curatoriis con-
fensi contrahens lādatur, eiusmodi contractus ipso iure
nullus sit, an verò per in integrum restitutionem rescindi
debeat? Prius affirmat Gæd. I: Ram. Rob. posterius affirmat Vult.
Cuiac. V Vesenb. priori subscribendum puto.

A 3

Haud

Quæstiones juris

3.

Haud leuis momenti quæstio est, an minor procurator esse possit? Nos minorem 25. annis tam ad litem, quam ad aliud negotiū iure ciuili idoneum procuratorem esse posse statuimus, modò maior sit 17. annis, & mandatum à domino habeat. Consentit Cuiac. Pac. Treut. dissentit Bart. Ias. Panor. Immo. VVesenb. gl. Iac: Butrig. & communiter Dd. teste Ben: Capra.

4.

Magna est dubitatio, an tutores vel curatores suspecti, ob latam culpam remoti, infames fiant? Quod affirmat Hot. Duar. Zas. Pac. Delr. &c. Negant Schneid. VVesenb. Alc. &c. Affirmatiuam ut tutiorem sequendam existimo.

5.

Inter Dd. non æquè conuenit, an legitimi tutores à tutela vel cura se excusare possint? Quod affirmat Vult. Treut. Myns. Bald. VVesenb. Negant Cuiac. Goth. Borch. Hot. Nos affirmatiuam ut saniorem amplectimur.

6.

Digladiantur etiam Dd. an tutoris datio, quam magistrati non vi jurisdictionis ordinariæ, sed specialiter concessæ competere dicimus, mixti imperij sit? Quod negant Cuiac. Goth. Duar. Corr. Bellon. Pac. Muscor. Obrech. Hen: à Suerin. Treut. Don. Affirmant glos. Rob. Fr: de Claperys, & veteres plerique. Affirmatiuæ astipulor.

7.

Imperitiam literarum cum imperitia negotiorum coniunctam, à tutela vel cura excusare, cum Vult. Pac statuimus.

8.

An bonis prodigo interdicatur vel à solo magistratu, vel à sola lege, varijs opinionum in uolucris Dd. involvunt? Prise

Controversæ.

3

*Prius affrrmant Gæd. Treut. Cuiac. Duar. Ias. Bart. Schneid.
Myns. Borch. Bronch. Vigl. Geil. Vasq. Va: Franc. Goth. posterius af-
serunt Don. Acc. Immo. Fulgos. Ego & à lege, & à magistratu
prodigo bonis interdici, ut verius, amplectior.*

9.

Inter mulieres solam matrem & auiam liberorum suo-
rum tutrices & curatrices esse posse, ex Cod. & Nou. iure
notum est, dummodò secundis nuptijs, item SC. Velliani
præsidio, omniq[ue] alij legitimo remedio & auxilio renun-
ciant; eam tamen renunciationem non in genere, sed spe-
cialiter fieri debere, *cum Manzin. Schneid. Treut. VValth. A:
Tessau. statuimus.*

10.

Sponsalia, quæ in iure ciuili definiuntur promissio de
futuro matrimonio contrahendo, ius Pontif. vocat spon-
salia de futuro; sicut ipsum matrimonij contractum seu
nuptias, vocat sponsalia de præsenti; quæ tamen distinctio
iuri ciuili incognita, hodiè usum nullum habet; nam spon-
salia nostra hodierna sunt ipse contractus matrimonij per-
fectus, qui postea per festiuitatem nuptialem ac concubi-
tum consummatur.

II.

Perplexa est quæstio, diu inter iuris Dd. agitata, an libe-
ri sine parentum consensu matrimonium contrahentes
exheredari possint? *Quod affrrmant Corr. Duar. Goth. Ne-
gant Geil. Cuiac. Dec. Borch. Cost. Treut. Sich. Vasq. Cona. Conarr.
Cont. VVurms. Beust. Hot. Fr: Sarm. Adr: Puluæus. Ego affir-
mandum puto, si autoritas accedit magistratus, eique nimia vi-
deatur liberorum contumacia, vide recess. Imper. anno 1548. Aug.
promulg. tit. von Sacramenten der Ehe §. penult. & ult. Et si-
cut liberi absque parentum consensu matrimonium inire non de-
bent;*

Quæstiones juris

bent; Ita viciſſim eos ad contrahendum matrimonium à parentibus cogi non posſe, cum Io: Bosch. Reuſn. Schneid. &c. ſtatuiſimus.

12.

Nec minūs & illud iucundum eſt inueſtigare, an ratiabitio patris nuptias abſque eius conſensu contractas ſubsequens, pro conſensu haberi debeat? Id affiſmant Pac. Sich. VVefenb. Negant Borch. Beuſt. Donel. Goth. Hot. Cont. Cuiac. Treut. Nos affiſmatiue, ut veriori, palmam deferimus.

13.

Non leuem quoque controuerſiam habet, an liberi à matrimonio ſine parentum conſensu contracto & conſummato recedere poſſint? Id affiſmant Monner. Old. Basil. Beza. Althus. Duar. Don. Negant Vult. Borch. VVefenb. Schneid. Treut. Beuſt. Goth. Negantibus calculum adyicimus: & pro hac ſententia etiam textus expreſſus eſt in d. receſ. tit. von Sacra-menten der Ehe. §. pen.

14.

Licet iuuenem, qui ſub conditione aſſenſus paterni ma- trimoniuſ contraxit, pendente conditione ſuam ſen- tiam mutare poſſe afferant Panor. Schneid. Ant: de Butr. Phil: Franc. Nostamen id cum Alc. Beuſt. Thom. Don. & gloſ: Can. negamus.

15.

A criter controuertunt Dd. an, ſi naturales per ſu- quens matrimonium legitimandi ſint, opus ſit totalibus inſtructis? Quod affiſmant Vult. Mynſ. Borch. Negant Don. Goth. Cuiac. Affiſmatiua amplector.

16.

Qua occaſione in quaſtione venit, an matrimoniuſ intermedium legitimationem liberorum antè ex con- cubina ſuſcepitorum impediāt? Quod negamus cum Conar. Borch.

Controversæ.

Borch. Zas. Trent. Andr. Gabr. Lud. de Sard. Andr. de Rosel.

17.

Plebeium ab extraneo nobili adoptatum, per adopti-
nem nobilem fierinegant, Tiraq. Trent. Bon. Curti. Ego cum
Io. Raynaud. affirmandum puto.

18.

Dubitant, An, sicut iure veteri, ita & hodierno testa-
mentum ob præteritionem liberorum ipso iure nullum
sit, ita ut nec legata, fideicomissa, aliaque, quorum in te-
stamento facta est mentio, debeantur? Et quoad institu-
tionem tantum vitiari, reliqua salua manere, afferunt glof.
Duar. Gom. Cona. Donel. Ias. Sich. & cæteri ferè omnes: Ego
testamentum in totum vitiari, etiam iure nouo, cum Cu-
iac. & VVesenb. statuo.

19.

Non aliena abs hoc loco quæstio est, an, sicut iure vete-
ri præteritio matris exhereditationis vim habuit, id iure ho-
dierno adhuc obtineat? Quod affirmant, Vasq. Duar. Soar:
ad Gom. Vigl. Trent. Althus. Negant, Vult. Donel. Mynsing.
Negantes sequimur

20.

Magna est controuersia, an legitima relinquenda sit in-
stitutionis titulo? Ad quod Trent. responderet distinctè; id
simpliciter affirmant, Vult. Cona. Gom. Donel. Ias. Vigl. Grass.
A. Cacho. P. Gregor. Negant, Vasq. Menoch. Baro. Gualt.
Vau. Rimin. Et magis est, ut cum prioribus, & receptione
etiam sententiâ, id indistinctè affirmemus.

21.

Maxima etiam est discrepancia inter Dd. ex quo tempo-
re fructus rei legatæ debeantur? Et eos indistinctè à tem-
pore moræ deberi putamus, cum Goth. Donel. Trent. Cuiac.

B

Myn-

*Myns. Cost. Duar. A. Fabr. quicquid contradicant, Vasq.
Gom. Ias. Cost. Corr.*

22.

Mirus inter Dd. conflictus est, an filius fami. de bonis adventitijs, in quibus pater usum fructum non habet, testari possit? Quod affirmant, *Grass. Vau. Dec. Trent. Negant, Bart. Vasq. Donel. Mynsing. Vigl. VVesenb. Cona. Clar. Alex. Rimin. Couarr. Fr. Viu. Duar.* Affirmatiua magis veritati congruam esse existimamus.

23.

Per querelam in officiis donationis, quo ad legitimā tantūm rescindi donationem, cum *Cuiac. Clar. Hotom. Bot. Gom. Moz. Fach.* statuimus; non in solidum, ut *Treut. & A. Fab.* existimant.

24.

Nobilis, sed valdè dubia est disquisitio, an ex hereditate liberorum etiam ex alijs causis in Nou. 115. c. 3. 4. non expressis, fieri possit? Quod affirmant, *Clar. Molin. Ias. VVesenb. Borch. Grass. Chass. Burg. Felin. &c.* Negant, *Vult. Curt. Treut. Vigl. Cona.* Affirmatiua nobis placet

25.

Dominium dotis, id est, iuris in re dotali constituti, ad maritum pertinere, affirmo cum *Vult. Bart. gloss. Bald. Salic. Cyn. Camp.* Rei autem dotalis dominium ad uxorem.

26.

Posthumos ex heredari posse, iniquissimè statuunt, *A. Vigl. Cona. Donel. Vasq. Duar. &c.* quod recte negant, *Schneid. Cuiac. VVesenb. Baro. Treut. Clar. Goth. Myns.*

27.

Per usucacionem & præscriptionem à Inst. Imp. informatam dominium acquiri, negant, *Bart. Acc. & vulgo Dd.*

Controversæ.

7

Dd. Nos id affirmamus cum *Donell. VVesenb. Treut. Duar.*

28.

Proprietatem & dominium idem esse statuimus, cum
Rob. Don. Duar. Licet aliter sentiant, *Cuiac. Treut. Gæd. G. Lo-*
pez. P. Gregor.

29.

Anxiè etiam inquirunt interpres, an usucaptionum
iura, naturali & gentium iuri contraria sint? Quod affir-
mat *Bald. Acc. Azo. gloss.* At nos negamus, cum *Vult.*
Schneid. Don. Vasq. Couarr. VVesenb. Pine. P. Greg. Treut. Duar.

30.

Omnis seruitutes verè ac propriè hodiè præscribi posse
statuimus, contra *Corr. Rob.*

31.

Quæritur etiam, an iuri luendi pignoris præscribatur?
Quod negant, *Myns. Borch. Cuiac. Geil. Henn: Gædn. A Gabr.*
Bart. Cyn. Bald. Alber. Fulg. Boer. Paris. Guid. Curt. Iun. Affir-
mant *gloss. Ang. Ias. Felin. Tiraq. Acc.* Negatiuam, ut ve-
riorem, æquiorem, melioribus rationibus fulcitam & Ca-
mcræ Imperialis autoritate firmatam sequor.

32.

Rixantur etiam Dd. an iuri redimendi seu pacto de re-
trouendendo præscribi possit? Quod affirmat *Tiraq. Tib.*
Dec. Soc. Iun. Cagn. Rol. à Val. Andr. Gab. Rom. Bald. VVesenb.
Negant, *Mynsing. Geil. Couarr. Pædemont. Porc. Cacher. Borch.*
Gomez. Treut. Io. Fich. Henn. Gæden. Affirmantes sequor.

33.

An ad seruitutum præscriptionem opus sit scientiâ do-
mini, non minus dubitant? Id affirmat *Con. Cost. Rob. Al-*
thus. Negant, *Menoch. Treut.* Nego & ego. Item an opus
sit titulo? Quod putat *Hot. Duar. Treut.* At ego cum *Sich.*
Bald. Cæp. Cost. nego.

B 2

Vſus-

Quæstiones juris

34.

Vsusfructus non est pars dominij, ut *Don.* putat: nec est pars fundi substantialis, ut *Bart.* & alij volunt; sed est ius & seruitus, ut docet *Gæd. Alc. Trent.*

35.

Vsufructuarium usumfructum alienare, locare, vendere oppignerare posse, negant, *Cost. Gomes. glos.* & *Dd.* communiter: quod cum *VVesenb. Trent. Pine.* affirmo.

36.

Et an, sicut usumfructum, ita & rem ipsam pignori dare possit usufructuarius? Quod asserit *P. Fabr.* sed hoc negamus.

37.

In possessione definienda tot ferè definitiones sunt, quot definitores; nam *Corr. 15. & Fulu. Constant. 30.* recenset possessionis definitiones, & alij alias: Ego puto, possessionem esse ius detinendi rem in specie; non esse usum rei, ut aliqui volunt, quia is seruituti competit.

38.

In nostro solo ædificatum propria autoritate nobis destruere licere, affirmamus cum *Zas. Duar. Cuiac. Corr. Trent. contra Vaudum.*

39.

Disputari quoque solet; an luminibus vicini officere, & altius tollere ædes, distinctæ sint seruitutes? Id affirmant, *Corr. Duar. Hot. VVesenb. Cap.* Negant, *Don. Cuiac. P: Greg.* Affirmatiuam ut tūtiorem amplectimur.

40.

Thesaurum in loco publico non datâ operâ inuentum, inuentori pro parte dimidia, ac pro altera dimidia fisco acquiri statuimus, ex c.un. quæ sint Regal.

Ius

Controversæ.

9

Ius venandi in fundo alieno esse seruitutem personalem
innominatā existimo, contrà quām Geil. Zas. Zoan. Pruckm.
tradunt.

41.

Nauigare, piscari, feras capere, si ius ac dominium com-
mune spectes, unicuique hoc vel illo loco licet; quod ta-
men hodiè plerisq; priuatis consuetudine ademptum est:
Fundos autem suos sepire, ferasque abigere iure quis non
prohibetur imò damnum dominis agrorum datum, resar-
ciendum esse cum Geil. Seb: Med. statuo. Multò minùs ob
feram captam capitum supplicium irrogandum, teste Geil.
Zoan. Treut. VVesenb. Pruckm. Seb: Med. Hinc & ius Saxon.
rectè prohibet, ob venationem ferarū in corpore aliquem
puniri; quòd maximè facit, quòd ferarum captio inter re-
galia non referatur in c. un. quæ sint Regal. licet malè con-
trarium afferat Fr: Pruckm.

42.

Homicidio in confinio commisso, quærunt Dd. an ma-
gis præsumatur factum in eo loco, quo corporis pars infe-
rior, an vero quo superior, ut cor vel caput, reperitur? Et
pro inferiore parte magis militare præsumptionem asseri-
mus; non enim potest dici, eo loco factum fuisse homici-
dium, quo moriens capite, vel mediâ corporis parte ceci-
dit, sed eo, ubi stetit cum occideretur; eo autem loco ste-
tisse dicendus est, quo pedes reperiuntur.

43.

Procuratoris officium tempore Iust. erat vile, adeò ut
etiam infames admitterentur ad munus procuratorium:
At iure Can. & moribus nostris hodiernis in iudicijs benè
constitutis infamis procurator esse nequit, maximè in Ca-
mera, ubi ciusmodi officiū est honorabile, non tam ratio-
ne personarum, quām loci.

B 3

Quæ-

Quæstiones juris

45.

Quæsumus memini, si, regno per successionem ad primogenitum pertinente, nascantur gemelli, uter eorum sit primogenitus? Quod sorte definiendum statuo.

46.

Dubitatur etiam, an omne decretum, & in specie interlocutio Principis, legis vim habeat, ita ut alios etiam obliget? Quod affirmat *Duar.* Negat *Hot.* *Cona.* *Pac.* Negantium sententia placet.

47.

Doctorum responsa hodiè, quatenus textibus, aut rationibus textuum non fulciantur, probabilia tantum, non necessaria sunt; ideo tām recepta videri non debent, ut ab ijs vel in Scholis disputando, vel in foro iudicando recedere religio sit: Hinc nihil frequenter hodie, quam ut contra communes, communiores, communissimas Dd. opiniones disputetur & iudicetur: Et ob id tentiam contra communem latam, non esse ipso iure nullam, sed valere statuimus cum *Castr.* *Bolog.* *Seb:* *Vant.* *Corat.* &c. contra *Abba.* *Fr.* *Viu.* &c. ob id etiam iudex contra communem iudicantis litem non facit suam, praesertim si aperti erroris possit conuinci communis.

48.

Disputant etiam iuris interpretes, an scriptura sit de essentia legis? Quod affirman, *Ias.* *Wvesenb.* *Sonsb.* *Guid.* *Pap.* &c. Negant, *Vult.* *Don.* *Cona.* *Schrad.* *Treut.* *Seb:* *Med.* *Iac.* *de Rauen.* Negantium sententiam frequentioribus Dd. calculis approbatam amplectimur.

49.

Intricata ac sparsa est dubitatio, an consuetudo legem abrogare possit? Et autoritatem rerum similiter iudicatarum

Quæstiones juris Controversæ.

ix

rum legem quidem non vincere asserimus; Ius autem non scriptum, seu consuetudinem propriè ita dictam, cuius efficiens causa est solus tacitus populi consensus, leges per desuetudinem tacitè quasi abrogare posse.

50.

Coronidis loco excutiemus, an valeat consuetudo quibusdam locis existens, ut liberi primi matrimonij bona immobilia & hereditaria; secundi mobilia & utensilia omnia capiant? Quod negandum putamus: Fieri enim potest, ut hereditas posterioris matrimonij sit multò lucrerior & amplior, quàm prioris; atque ita liberi secundi matrimonij longè plus caperent ac fauorabiliores essent liberi primi matrimonij, &c. cuius tamen ratio nulla est; Et quia consuetudo hæc irrationabilis est, & æquitati rationis que iuris scripti minimè consentanea, ideo Principum autoritate meritò cassari, & ad ius commune scriptum, Nouel. vid. respici debet: Ob id rectè in Camera consuetudines ad rationis & æquitatis normam tanquam ad Lydium lapidem reuocantur.

F I N I S.



Quintus Ennius' Catinacis

litteris legum quibus non invenimus non
est enim, tunc cum ceteris quibus est, quod
sunt enim, etiam nos Homo auctor est, qui
hinc dicitur, quod est enim, etiam nos.

in primis quod est enim, etiam nos
non habemus nisi in illis quibus est, quod est enim,
etiam nos. Tunc cum ceteris quibus est, quod
sunt enim, etiam nos Homo auctor est, qui
hinc dicitur, quod est enim, etiam nos.
in primis quod est enim, etiam nos
non habemus nisi in illis quibus est, quod est enim,
etiam nos. Tunc cum ceteris quibus est, quod
sunt enim, etiam nos Homo auctor est, qui
hinc dicitur, quod est enim, etiam nos.
in primis quod est enim, etiam nos
non habemus nisi in illis quibus est, quod est enim,
etiam nos. Tunc cum ceteris quibus est, quod
sunt enim, etiam nos Homo auctor est, qui
hinc dicitur, quod est enim, etiam nos.





X2615896

VD 17

Farbkarte #13

B.I.G.



1598, 2.
2, 1.
15